

15
1. 21
2. /
Σ
160
1. 8
164
1.
161
1.
2. 0
161
1.
161
1.
161
1.



15
24
54
THESES JURIDICÆ

De
TUTELA ET
CURA.

Quas

D. T. O. M. A.

PRÆSIDE

Clarissimo & Consultissimo VIRO

DN. WILHELMO LUDWELL, U. J. D.
& P. P. Fautore & Præceptore suo omniho-
noris & observantiæ cultu jugiter æviter-
nùm suspiciendo,

In Includâ NORIBERGENSIVM UNIVER-
SITATE ALTDORPHINA,
Publica & placida disquisitioni
In Acroaterio majori

Committet & pro virili defendere conabitur.

HIERONYMUS POPP SCHUIN-
FURTENSIS FRANCUS.

Ad diem Martij

A. R. S.

M. DC. XXII.

ALTDORPHI

Typis BALTHASARIS SCHERFFL,
Universitatis Typographi.

Nota 19. No 29.

V I R O

Amplissimo, Spectatissimo, & Prudentissimo

DN. WENCESLAO Wallenburg/
Reip. Suinfurtenfis Senatori vigilantissimo,
Curatori suo omni honoris & observantiae cul-
tu nunquam non profe-
quendo.

VIRIS ITEM

Integerrimis, honoratissimisq;

DN. GEORGIO Popp.

DN. CASPARO Schamrott.

Illi Fratri huic Affini suo plurimum hono-
rando colendoq;

Hasc studiorum suorum Academicorum
primitias,

Honoris & observantiae testandi causa

L. M. Q;

D. D. D.

HIERONYMUS POPP S. Fl.
Auctor & Resp.

155

In nomine Domini nostri IESU CHRISTI
ad omnia consilia omnesq; actus semper progre-
dimur. l. 2. C. de offic. praefect. Prae-
tor. Afric.

THESES JURIDICÆ
De
TUTELA ET CURA.

Proœmium.



Um plerisq; de juris aliqua materia differentibus
solemne esse videamus, et in fronti spicio quadam
proœmij loco adducant, in quibus vel subjecta ma-
teria necessitatem, vel summam ejus utilitatem
multis illustrare verbis conantur: Idem quoq; à nobis de Tu-
tela & Cura agentibus fieri debere non omninò videtur incon-
veniens, praesertim, quòd istiusmodi praefationes egregio Le-
gum Coryphaeo Gajo in l. 1. ff. de Orig. jur. attestante, non
solum libentius nos ad proposita materia lectionem producant,
verum etiam cum ibi venerimus, evidentiore ejus praesent
intellectum. Quoniam autem hujus materia utilitas ab aliis
satis verbis sit depradicata, ac cuius eam intuenti facile pa-
teat, itaq; sicco, quod dicitur, pede, encomium ejus prater-
euntes ad rem ipsam nos convertimus, salvo argumento l. 1. in
pr. ff. de in integr. restit. Quocirca ut prosperè feliciterq;
succedat:

Adis Sancta TRIAS, rege tu me flamine sacro.

A 2

POST-

POSITIO I.

Tutela, (a) est vis ac potestas, (b) in capite libero, (c) ad tuendum eum, (d) qui per ætatem se ipse defendere nequit, Jure Civili. (e) data & permissa. (f)

(a) à tuendo dicta, §. 2. l. h. t. l. 1. §. 1. ff. eod. dupliciter accipitur, generaliter & specialiter. Generaliter denotat quamlibet defensionem & conservationem, ut tutelam corporis, l. 3. ff. de l. & l. tutelam ædificiorum, l. 7. §. 16. ff. solut. matrim. tutelam viæ, l. 30. ff. de legat. 2. Specialiter verò sumitur pro illâ defensione ac tutione, quæ pupillo à tutore præstatur, ut hoc loco. Hinc tutores quasi tutores pupilli & defensores dicuntur, d. §. 2. & d. l. 1. §. 1. h. t. Germ. *Doct. munder* quasi *vor ihrem Munde* ut notat, *Alberic. de Rose in Lexic. Juridic. in verbo: tutores.* (b) Quæ vocabula non disjunctim, sed conjunctim sunt accipienda, ut unum per alterum eò melius explicetur, undè etiam ea sæpissimè in jure conjuncta reperiri patet ex §. 4. l. de Interdict. l. 17. de L.L. l. 1. ff. de noxol. act. l. 7. C. de codicill. Per voculam autem *Vis*, non intelligimus vim violentam, quæ libertatem impedit, ut *Accurs. ad §. 1. l. & l. 2. pr. ff. h. t. Petr. Gregor. lib. 12. Syntagm. Jur. c. 2. n. 2.* & alii interpretantur; sed quæ jure & legibus concessa efficax sit, ad pupilli personam regendam ac gubernandam. (c) nimirum pupilli, quoniam ipsum planè liberum tam à patria, quàm dominica potestate esse, necesse est. l. 6. §. f. & l. 14. pr. ff. de tutel. Enim qui alieni juris sunt, tutores non rectè dantur, cum satis consilio parentum & dominorum regantur. (d) Scilicet pupillum, quia tutor principaliter personæ tuendæ datur, non vero rei. §. 4. l. *Qui testam. tut. dar. poss. l. 14. ff. de testam. tut.* quamvis etiam per consequentiam negotiorum administrationi præfectus intelligatur. l. 12. §. 3. ff. de administ. & peric. tut. *Wesemb. in co. ff. h. t. n. 4.* (e) Juris enim Civilis est tutela, §. est autem l. de tutel. *Wes. d. loco n. 4. & seq.* quamvis fundamentum in jure Naturali habeat, quemadmodum omne Jus Civile, l. 6. ff. de l. & l. vide *Clariss. & Excellentiss. Dn. D. Ungepaur. fauorem & Præceptorem meum plurimum honorandum in Exerc. suis Justin. Ex. 4. q. 1. in Ajo. & Exerc. 3. q. 2. in Ajo.* (f) Verba hæc ultima definitionis retineri debere, contra *Vult. in §. 1. l. de tutel. defendemus, cum Dd. ibidem. Don. lib. 3. comm. c. 1. Wes. d. loc. ibi enim per* vocabu-

vocabulum Data; Legitima: Per vocabulam verò permiffa, testamen-
taria & dativa intelliguntur, *arg. l. 130. ff. de V. S.*

I I.

Est autem tutela triplex: Testamentaria, legitima
& dativa. (a) Testamentaria, (b) est cum parentes, (c)
liberis suis impuberibus, (d) testamento, (e) tutorem,
(f) etiam filiumf. & (g) servum, (h) constituunt. Illud
speciale est, ut ex certo die, vel ad certum diem, sub
condicione, tutor detur in testamento; (i) non vero
rei certæ. (k)

(a) *per l. 52. C. de Episc. & cler. l. 4. C. qui dar. tut. vel curat. poss. l. ult. C. de legit. tut. Don. d. lib. 3. comm. c. 4.* (b) Quæ primum obtinet locum, & cæteris aliis est principalior: quamdiu enim hæc superest, reliquæ cessant. *l. 11. ff. de testam. tut. l. 9. §. 2. ff. de tut. & rat. distrab. l. 39. ff. de acquir. hered.* Huc non immeritò referri potest ardua illa quæstio; An etiam in Electorali tutela hæc regula procedat, ut ea præferatur legitimæ? Nos à parte affirmantium stabimus, moti cum primis, quod nullibi hoc expressè mutatum reperiatur, curigitur stare tanquam favorabile prohibeatur, *l. 32. inf. C. de appell. Clariff. Dn. D. Ungep. Exerc. 9. q. 4. Clariff. Dn. Preses Fautor & Præcept. meus æviternum honorandus. Disp. ad Inst. 3. th. 2. lit. B. & alij.* (c) Pater scilicet vel Avus, qui filium in potestate habet. *§. 3. Inst. d. t. l. 1. & 4. ff. de testam. tut.* Qui ergò non sunt parentes, ut sunt patroni, extranei & cognati, ve etiam qui sunt parentes, filios tamen non habent in potestate, ut mater. *§. 10. Inst. de Adopt. l. 5. C. d. t. de adopt. §. 3. Inst. de hered. qualit. & differ. dare tutorem nequeunt; datus tamen cum inquisitione confirmabitur, l. 2. §. 1. l. 2. in pr. l. 4. & l. ult. ff. de confirm. tut. l. 4. ff. de testam. tutel. Don. d. lib. 3. comm. c. 5.* Imò licet mater liberos quibus tutorem dedit, heredes non instituat, adhuc confirmari à magistratu solet. *l. 4. C. de test. tut.* Quid si pater emancipato dederit? Confirmabitur sine inquisitione, quamvis jure dare non possit. *§. f. l. d. r. l. 2. §. 2. ff. de confirm. tut.* Quæritur autem qualis istiusmodi confirmatus sit dicendus, testamentarius, an vero dativus? Respondetur, propriè neq; testamentarium neq; dativum dici posse:

A 3

456
de
tutore testamen-
tario.

ciposse: cùm enim hic & factum testatoris & confirmatio magi-
stratus concurrat, propriè dativus dici non potest, quia magistratus
tantùm confirmat, quod pater disposuit: nec etiam testamentarius
simpliciter, quia non solo testamento constitutus est, sed magistra-
tus confirmatione, quæ robor huic dationi addidit. Adde *Coedd. ad*
l. i. n. 4. de V. S. Quòd si tamen ad alterutram speciem referre omni-
nò placuerit, ad testamentarium, quàm dativum propius accedere
videtur; quia confirmans defuncti, non suum sequitur iudicium,
l. 32. ff. de Excusat. tut. (d) d. §. 3. l. de tutel. l. 1. §. 1. ff. de testam. tut. l. 1.
§. 1. ff. de confirm. tut. filii semper, nepotibus tum demum, si post
mortem avi in patris sui non recidant potestatem. *d. §. 3. & d. l. 1. §. 2.*
de testam. tutel. etiam posthumis in potestate futuris, nec testamen-
tum rupturis. *d. l. 1. §. 1. d. t. & §. 4. l. de tutel. §. ul. l. qui testam. tut.*
Ratio est in *l. 7. & 26. ff. de stat. hom. l. 220. & 231. de V. S.* Filiis si dede-
rit, nepotibus non censetur dedisse. *d. §. ul.* In dispositione enim ho-
minis propriè & strictè vox filii accipitur pro eo, qui ex uxore & viro
ejus nascitur, *l. 6. in pr. ff. de his qui sunt filii vel alien. jur.* Exheredato
filio tutorem dari posse certum est, ut nec confirmatio requiratur,
l. 4. l. 10. §. 2. l. 26. §. 2. l. 31. ff. de testam. tut. Duar. ad tit. ff. de tutel. c. 2.
Addidimus autem impuberibus, ad differentiam puberum; quo-
niam puberibus tutor non datur sed curator, cùm pubertate ipsa
tutela finiatur, *pr. l. quibus mod. tut. fin. (e) d. §. 3. l. 20. §. 1. ff. de testam.*
tut. l. 1. §. 1. ff. de confirm. tutor. vel codicillis, non aliter tamen quàm
testamento expressè vel tacitè confirmatis. *l. 3. ff. de testam. tut. §. non*
tantùm. l. de codicill. (f) Non curatorem, qui tamen datus confirma-
ri debet. *l. 6. ff. de confirm. tut. (g) pr. l. de test. tut. l. 6. ff. de tutel. l. 21. ff.*
de administr. & peric. tut. tutela enim est munus publicum *in pr. l. de*
Excusat. tut. vel curat. l. 17. §. 2. & 4. ff. eod. in publicis autem causis
filiusf. pro patref. habetur. *l. 9. ff. de his qui sunt sui vel alien. jur. (h)*
Proprium purè, etiam sine libertate. Quo casu servus libertatem di-
rectam ipso jure consequitur. *§. 1. l. d. t. l. 32. §. 1. ff. de test. tut. non*
nunquam fideicommissariam favore pupilli accipit. *l. 20. §. f. ff. de*
test. tut. l. 9. C. de fideicom. libert. Alienum verò servum cum conditio-
ne cùm liber erit. *d. §. 1. l. d. t. qui test. tut.* Ex benigna tamen inter-
pretatione fideicommissaria libertas ita data videtur, ut heres eum à
domino redimere & manumittere habeat necesse. *l. 20. §. 4. de testam.*
tut. d.

857

tut. d. l. 9. C. de fideicom. libert. (i) §. 3. Inst. qui testam. tut. l. 8. §. 2. & l. 11. in pr. ff. eod. quia ante vel post illud tempus auxilium magistratus superest, per quem pupillo prospici potest. §. 1. l. de Atilian. tut. (k) §. 4. l. d. 1. & ibi Dd. quia personæ principaliter, non rei datur tutor d. §. 4. & l. 12. ff. de test. tut.

III.

Testamentariâ deficiente succedit legitima, (a) quam lex, (b) ipsa defert. (c) Quæ est vel agnatorum, & cognatorum, (d) vel patronorum, (e) vel parentum, (f) vel fiduciaria. (g)

de tutore legitimo

(a) l. 9. §. 1. ff. de tut. & rat. distrab. l. 11. in pr. ff. de testam. tut. N. 118. c. 5. l. 89. ff. de R. I. Si vel testamentaria cessat, vel ejus confirmatio. d. l. 11. Don. 3. comm. 6. Ex testamento tamen si fuerit tutor, licet is se excusaverit, vel remotus fuerit, non ei succedit legitimus, sed dativus, d. l. 11. §. 1. & 2. l. 3. §. 8. ff. de legit. tut. Sin verò tutor testamentarius post mortem testatoris decedat, legitimæ tutelæ locus erit, exclusâ dativâ. l. 6. in f. ff. de legit. tut. d. l. 11. §. 3. Don. d. c. 6. Quod si impedimentum temporale sit, quo minus tutor testamentarius tutelam administret, tutorne dandus? Curatorem dari debere verius est. §. item quia. l. de Excus. tut. l. 15. ff. de tutor. & Curat. dat. Don. 3. comm. 15. in f. secus si impedimentum perpetuum fuerit. l. pen. ff. de tutel. l. pen. C. in quib. cas. tut. (b) Lex videlicet 1. 2. tabb. aut alia quavis, aut S Crum. l. 7. ff. de capit. minur. (c) absq; ullâ hominis dispositione, ullâve magistratus autoritate, l. 5. in pr. ff. delegit. tut. (d) Qui pariter hodiè ad successionem vocantur. d. N. 118. c. 5. Auth. sicut hereditas. C. de legit. tut. & sic quoq; ad tutelam d. N. 118. & arg. l. 73. in pr. de R. I. Sed secundum gradus prærogativam, proximior enim remotiorem excludit. l. 9. ff. delegit. tut. §. f. l. de capit. demin. aut si eodem gradu plures sint, omnes tutelam nanciscuntur. d. §. f. & d. l. 9. Quamvis hodiè ad eum devolvatur, qui primò à lege ad hereditatem vocatur. d. N. 118. c. 5. Unde jure novissimo mater & avia propter summam affectionem & pietatem, si velint liberorum suorum tutelam gerere, reliquis agnatis præferantur. d. N. 118. c. 5. Auth. mari C. quand. mulier. offic. tut. fung. pot. Don. 3. comm. 3. ita tamen ut secundis nuptiis & Scto Vellejano renunciât. N. 94. c. 2. Auth. sacramen-

de tutela materna

eramentum; quãd. mulier offic. tut. & c. d. Auth. marri. C. d. r. tit. Ob
 ritas ergo nuptias tutelam filiorum amittit, quam mortuo ma-
 rito reassumere nequit. *Myns. 3. obs. 83.* depositam, non subsequitur
 nuptiis, potest. *d. N. 94. c. 2. Myns. d. loc.* Pater tamen etiam ad secunda
 vota transiens, liberorum tutelam retinet: firmior enim est amor pa-
 ternus, quàm matris, què magis amore secundi mariti, quàm filiorum
 ardere præsumitur: cum ejusmodi fæminæ quandoq; & res & vitam
 filiorum maritis addicant. *l. 22. inf. C. de administr. tut.* (e) Quæ patro-
 nis eorumq; liberis in patronos patronasq; impuberes ex mente L.
 12. tabb. competit, *r. inf. de legit. patron. tut.* (f) videl. in liberos ante
 pubertatem emancipatos, quæ nec lege, nec mente legis 12. tab. est
 introducta, sed saltem exemplo patronorum. *inf. de legit. parent. tut.*
 (g) Dicitur autem hæc fiduciaria exinde, quòd jus fiduciam habeat
 de his personis, quibus tutelam defert, quòd pupillorum rebus
 optimè consulere possint & velint. *arg. l. 31. §. 6. ff. de negot. gest.* quæ
 competit patri in liberos ab avo emancipatos, vel fratri aut patrio
 in fratres aut fratris liberos ante pubertatem emancipatos. *r. r. inf.*
de fiduciar. tut. Verùm hæc tutela omninò ab usu recessisse videtur,
 quoniam hodiè jure novo parentes liberorum vel fratres fratrum
 non fiduciarii, sed legitimi tutores existant, juxta gradum & succe-
 sionis prærogativam, *d. N. 118. c. 5. l. 4. C. de legit. tut. adde Donell. d.*
lib. 3. comm. c. 6.

IV.

de
 Tutela dativa

In subsidium superiorum locum habet tutela da-
 tiva, (a) quæ datur à magistratu competente. (b) Dan-
 tur verò omnes, qui nec naturâ, (c) nec lege, (d) pro-
 hibentur.

(a) *pr. l. de Attil. tut. & ibi Dd.* ita etiam vocatur, *in l. 7. ff. rem. pu-*
pill. salv. fore. l. utr. C. de legit. tut. l. 52. C. de Episc. & Cler. quæ etiam
 honoraria dicitur videlicet à magistratu, qui in jure nostro honor
 dici solet, *arg. §. 9. inf. de l. N. G. & C.* (b) *l. 3. ff. de tut. & curat. dat. vel*
suâ sponte. & ex officio, si mater vel alii pupillo non prospiciant, d. pr.
l. 24. ff. d. t. l. 1. ff. de jurisd. l. 6. C. qui dar. tut. & c. vel alterius petiti-
one. d. t. ff. & C. qui per. tut. & cur. Hic queritur: An datio tutoris sit
 imperii, an verò Jurisdictionis? Quod utrumq; negamus per *l. 6. §. 2.*
ff. de tutel.

ff. de tutel. quod tamen cum grano salis est accipiendum; potest enim commodè referri ad extraordinariam, quæ specialis legis, vel S.Cti, vel Principis concessione competit, arg. l. 2. ff. de iuris d. l. 3. pr. ff. de postul. Clariss. & Excellent. Dn. D. Ungep. d. Ex. 4. q. 7. Hodie verò generali Germaniæ consuetudine, ordinario jure magistratus judandi tutores competit, quod etiam cautum in Constit. Imper. Augustæ Anno 1584. promulgata, tit. Von der Puyillen vnd minder Jährigen Kinder tutorn vnd Vormunder / §. 2. & 3. Quod si sit alius magistratus quoad domicilium, alius quoad patrimonium pupilli, tunc utiq; domicilii præferetur, l. 21. §. 2. ff. de Excusat. l. 5. §. 12. ff. de rebus cor. quæ sub. tut. & cura. quamvis tutius sit ab utroq; magistratu decretum interponi, l. 30. §. 1. ff. de Excus. Tutor tamen simpliciter datus, omnibus bonis ubicunq; sitis datus videtur. §. 17. & ibi Mysf. l. de Excus. tut. Potest etiam magistratus ex vicino municipio, si in suo idoneam non habeat, tutorem dare. l. 10. ff. de tutel. l. 24. ff. de tut. & curat. dat. (c) vel propter defectum naturalem, ut surdus, l. 1. §. ff. de tutel. l. 10. §. 2. de legit. tut. mutus, d. l. 1. §. 2. & d. l. 10. §. 1. l. 17. ff. de tutel. ad eò ut si quis tale vitium post assumptam tutelam contraxit, se excusare possit, l. 40. ff. de Excus. ut & Cæcus. l. 3. C. qui dar. tutor. l. un. C. qui morb. & perpetuò furiosus §. 2. l. qui testam. tut. arg. l. 17. ff. de tutel. Secus est, si spes sit eum posse resciscere. d. l. 11. & arg. d. §. 2. l. d. r. vel propter ætatem, ut minores 25. annis, d. §. 2. l. qui testam. tut. §. 13. l. de Excus. tut. N. 118. c. 5. Ne hic venia ætatis impetrata locum habet, quæ suorum bonorum administrationem respicit, l. 2. & seqq. C. qui veni. atar. impetrav. Prodigus quoq; & in genere qui aliorum tutelâ curâve reguntur, tutores vel curatores esse nequeunt. arg. d. §. 13. l. de Excus. l. 6. ff. de V. O. Don. d. lib. 3. comm. c. 3. (d) ut milites, l. 4. C. qui dar. tut. poss. §. 14. l. de Excusat. tut. servi. l. 7. C. d. r. qui dar. tut. & c. l. 22. ff. de testam. tut. debitor creditorvè pupilli jure novo. Auth. minoris C. qui dar. tut. Don. d. c. 3. nisi fuerit mater aut avia. Auth. adhec C. quand. mul. tut. off. & c. Don. d. lo. Quod si dissimulato debito vel credito tutelam susceperint, hic jus crediti amittit, ille nullâ debiti solutione juvatur. d. Auth. minoris. N. 72. c. 4. & uterq; simul tanquam suspectus à tutelâ removetur, quia eo ipso quod tacuit, se suspectum reddidit, etiamsi creditum remittere velit. arg. l. 8. ff. de tutel. Hæretici quoq; & Judæi Christiano tutores dari possunt.

qui
tutores dari
non possunt.

B



possunt quoad administrationem, à quâ separamus pupilli educationem, quæ judæis, ne superstitione pupillus inficiatur, committenda minimè est. *Clariss. & Excellent. Dn. Praeses. D. ad Inst. 3. th. 6. lit. A.*

V.

quid
tutores præs-
sent.

Tutores prædictis modis constituti necessariò, (a) eam, & gratis, (b) suscipiunt, ita tamen ut prius illis tutela à magistratu decernatur, (c) deindè cautionem præstent, (d) jurent, (e) & inventarium conficiant. (f)

(a) Est enim tutela munus publicum, *pr. l. de Excus. tut. l. 1. §. 4. ff. de muner. & honor. auctoritate non utilitate. Principaliter tamen considerata tutela privatam est. l. 6. §. 15. ff. d. t. de Excusat. Don. d. 3. comm. 9. in pr. Unde necessariò suscipienda est, l. 1. & 28. ff. de administ. & peric. tut. usq; adeò ut pignoris captis tutor cogi possit à magistratu. l. 3. C. de suspect. tut. (b) Nec enim tutor de bonis pupilli ali debet, nisi esset pauper & pupillus dives, quo casu salarium à judice constitui potest, l. 33. §. f. ff. de administ. & peric. tut. (c) Quod in Constitutione Carolina Augustæ Anno 1548 exhibita. tit. 31. §. 4. est constitutum. Jure n. nostro tutor statim ex quo scit se tutorem datum, administrationem suscipere debet, adeò ut si cesset, suo id faciat periculo, l. 1. §. 1. ff. de admin. & peric. tutor. (d) l. 4. §. 1. ff. rem pupilli salvo. fore, l. 1. C. de tut. vel curat. qui satis non dedit. Quod fieri debet datis idoneis fidejussoribus, d. l. 4. §. 1. & seqq. l. 1. ff. qui satis d. cogant. Don. d. 3. comm. 9. in pr. non verò pignoris datis, nec etiam pecuniâ satisfactionis causâ depositâ, l. 7. ff. de prætor. stipul. præsertim cum ipso jure bona tutoris pupillo tacite obligata sunt, l. ult. C. de admin. tut. Giph. ad d. pr. hist. de satis d. tut. vel. curat. Don. d. lib. 3. com. c. 11. Clariss. & Excellent. Dn. D. Ungep. d. Ex. 4. q. 12. Hinc nec ad juratoriam cautionem admittentur, si satisfacere nequeant propter inopiam, i. e. cum non tantum habeant in bonis, quantum pupillus, l. 2. C. de tut. & curat. qui satis non dedit. Et licet de Jure Civili testamentarii, itemq; ex inquisitione dati non cogentur satisfacere, §. 1. l. de satis d. tut. l. 2. ff. de confirm. tut. l. 17. in pr. & l. 19. §. 1. ff. de testam. tutel. tamen & hî hodiè ad satisfactionem compelluntur, in *Polit. ordin. de Anno 1548. & repetita Anno 77.* (e) Se videlicet commodum & utilitatem pupilli*

859
pupilli promoturos, ut res pupilli salva esse queat, l. ult. §. pen. C. de
admin. tut. d. l. 27. C. de Episc. audient. N. 72. c. f. (f) In quo cunctas
pupilli res describere tenentur. l. 7. in pr. ff. de administ. & peric. tut. l.
24. C. eod. & qui hoc non ritè conficit, dolo facit, & tanquam suspec-
tus removetur, d. ll. N. 94. in f. Qui verò nullum fecit, in id quod
interest pupilli tenetur, ac infamià notatur, nisi iusta omissionis sub-
sit causa, d. l. 7. in pr. de admin. & peric. tut. d. Const. Carol. Tutor tamen
ante confectioem inventarii potest facere, quæ utilia sunt pupillo,
& alienare quæ tempore sunt peritura, d. l. 7. ff. & l. 22. C. eod.

V I.

His ritè perfectis tutor in administratione pupillo
de educatione providebit, (a) & in omnibus negotiis
suam interponet auctoritatem; (b) sine qua pupillus
nec naturaliter quidem obligatur: (c) licet alios sibi
rectè obliget. (d) Hereditatem tamen licet lucrosam,
sine auctoritate tutoris adire non potest. (e)

(a) Quod præcipuum est tutoris officium. Educatio autem apud
matrem, aut si vitricum superinduxerit, apud quendam necessario-
rum fieri convenit, arbitrio tamen iudicis. l. 1. & 2. C. ubi pupill. educ.
deb. N. 22. c. 38. Quod si tutor pupillo alimenta deneget, removetur
tanquam suspectus. l. 3. §. 14. ff. de suspect. tut. l. 6. ff. ubi pupill. educ. (b)
pr. Inst. de auctor. tut. l. 5. & 9. ff. eod. l. 4. C. eod. Auctoritas hic est ap-
probatio ejus quod agitur, l. 3. ff. d. r. quæ interponitur perfecto eo,
quod pupillus præsentè tutore gessit; ita tamen ut in continenti &
quidem expressè ea interpositio fieri debeat, l. 9. §. 5. ff. de auctor. tut. l.
25. §. 4. ff. de acquir. hered. l. 31. ff. de usucap. Don. 3. comm. 13. & 7. comm.
9. Nec ratio habitio hic locum habet, §. 2. l. d. r. d. l. 9. §. 5. ff. d. r. quia
auctoritas tutoris pro solemnitate actus adhibetur & ad integran-
dam pupilli personam requiritur. arg. l. 13. §. 2. ff. de public. in rem act.
(c) d. pr. l. de auctor. tut. l. 9. ff. eod. l. 1. §. 2. ff. de novat. l. 59. ff. de O. & A.
nisi fortè ex constitutione D. Pii locupletior factus sit, l. 6. ff. de ne-
gor. gest. l. 1. pr. l. 5. ff. de auct. tutor. vel si non agatur de pupilli damno,
sed alterius alicujus præjudicio, l. 1. §. 1. ff. de novat. l. 127. ff. de V. O.
cum similibus; vel deniq; nisi dolosè in re alicna versatus fuerit,
B 2 l. 1. §. 15.

Com
officium.

Auctoritas
tutoris in ipso
actu inter venire
debet.

Limita.

l. 1. §. 17. ff. de posit. tunc enim malicia supplet aetatem, l. 3. C. si minor. se
major. dix. Clariss. & Excell. Dn. Ungep. Ex. 10. q. 3. (d) d. pr. & ibi Dd. l.
de autorit. tut. §. 2. l. quib. alien. lic. vel non, l. 11. ff. de acquir. rer. dom.
Don. d. lib. 3. comm. c. 13. in pr. (e) §. 1. ibiq. Dd. l. de aut. tut. l. 9. §. 3. ff.
eod. Quoniam per aditionem hereditatis heres quasi contrahit, l. 3. ff.
ex quibus causis in poss. eat. l. 8. ff. de acquir. hered. atq; obligatur ita ex
quasi contractu, §. 5. l. de oblig. qua quas. ex contract. nasc. 2. Quia he-
reditas non nisi animi iudicio, quo pupillus caret, l. 189. de R. l. ad-
ri potest. l. 9. l. 20. l. 88. de acquir. vel amit. hered. 3. Quia hujusmodi
obventiones universales multas habent vexationes & molestias, of-
fensas & insidias, ut eleganter ait, Ulp. in l. 4. ff. ad SCtum Trebell. ut
sæpè præstet eas negligere, quàm avidè sectari, l. 6. ff. de minor. Ve-
rùm hæc omnia in extranei hereditate: alioqui si suus, & necessari-
us sit, ipso jure, etiam tutore invito, hereditatem acquirit, nec au-
ctoritate tutoris opus habet, §. 3. l. de hered. qua ab intestat.

VII.

De
Contrariis tu,
tela.

Potestas autem tutoris finitur, vel ipso jure, in per-
sonâ pupilli & tutoris, (a) in personâ pupilli, (b) & in
ipsâ tutelæ delatione; (c) vel sententia iudicis. (d)

(a) Veluti morte pupilli vel tutoris, §. 3. l. quibus mod. tut. fin.
l. 4. in pr. ff. de tut. & ration. distrab. Nec enim ad heredem tutoris
ulla tutela transit, sed legitimam proprio jure agnationis liberi ca-
piunt. l. 16. §. 1. ff. de tutel. Deinde captivitate pupilli tutela expirat,
& interim urator bonis darur, l. 15. in pr. ff. ex quib. caus. major. quam-
vis tutore capto tutela in suspenso sit, §. 2. l. de Attil. tutor. Capitis
quoq; diminutio quævis respectu pupilli tutelam finit, §. 1. l. quib.
mod. tut. fin. l. 14. ff. de tutel. respectu tutoris verò, maxima & media:
nam minima legitimam solam tollit, §. 4. d. r. quod ipsum tamen
hodiè immutatum putamus, per d. N. 118. c. 4. (b) pubertate, quæ
non ex aspectu impudico dijudicatur. sed annorum numero intel-
ligitur, pr. l. quib. mod. tut. fin. l. f. C. quand. tut. vel curat. esse desin.
Hic notandum, nostris moribus tutelam hoc tempore non finiri,
sed vel 18. vel 20. ann. eodemq; ferè manere tutores, qui & curato-
res fuerunt. Rittersh. ad b. pr. (c) cùm videlicet in testamento quis
ad certum tempus, ex certo tempore, & sub conditione tutor da-
tus est,

rus est, l. 14. §. ff. de tutel. l. 3. §. 7. ff. de suspect. tutor. §. 2. l. quib. mod. tut. fin. Don. 3. com. 14. (d) Cum iusta proposita & probata excusatione à tutelâ tutor datus liberatur. r. r. de excus. tut. vel etiam tanquam indignus & suspectus remouetur, r. r. de suspect. tut. de quibus in positionibus sequentibus videbimus.

VIII.

Tutore per pubertatem liberato, succedit Curator, (a) qui puberum volentium, (b) bonis, (c) datur, (d) usq; ad annum ætatis 25. (e) sed & mente capris, furiosis, prodigis, (f) & aliis, (g) curatores dari solent.

*quibus
tutor datur*

(a) Quem tenetur tutor petere, vel pupillum admonere, ut sibi ipsi curatorem petat: aliàs enim iudicio tutelâ tenetur, l. 7. C. qui per. tut. l. 5. §. 5. ff. de administr. tut. Licet autem hodiè generali consuetudine cura tutelâ cohæreat, & tutores etiam rebus minorum usq; ad maiorem ætatem præsent, tamen si velint, finitâ pubertate tutelam deponere possunt. §. qui tutelam r. l. de excusat. tut. postquam rationes reddiderint, & adulto curatorem petierint. Quòd si tutor neq; per se neq; per pupillum curatorem petierit, in ipsum etiam intuitum curæ onus continuabitur, d. l. 5. §. 5. ff. de administr. tut. In quibus differat tutelâ à curâ, non in eleganter explicat Giph. ad tit. de curator. (b) Cura enim tuetur puberem, pr. l. de curat. Sed non intuitum, §. 2. d. t. l. 1. & 6. C. qui per. tut. l. 2. §. 5. ff. eod. nisi ad litem d. §. 2. Consuetudine tamen hodierna omnibus puberibus etiam intuitis, curatores dantur. Constit. Polit. Carol. V. (c) Nam curator rebus dari solet principaliter. pr. l. de curat. l. 3. §. 2. ff. de tutel. & aliquando certæ rei vel parti. l. 3. §. 2. d. t. de tutel. §. 4. l. qui test. tut. Hic quæri solet, An minor sine curatoris consensu obligetur? Quod negandum videtur, per l. 3. C. de in integr. restit. min. Clarß. & Excell. Dn. D. Ungep. Exerc. 10. q. 4. (d) ab eodem magistratu quo tutores dantur. l. 3. ff. de tutor. & curat. dat. Hinc dativus tantum est curator hodiè, §. 1. l. de curat. Nam testamento curator non datur, d. §. 1. & l. 2. in ff. de confirm. tut. Sicuti nec lege amplius, §. 3. l. d. t. l. 1. in pr. ff. de curat. furios. (e) completum in pr. l. de curat. l. 1. C. quand. tut. ess. desin. quia licet puberes, tamen ejus ætatis sunt, ut sua negotia tueri nequeant, d. pr.

& l. 1. ff. de minor. (f) §. 3. l. d. t. de curat. & d. r. ff. & C. de curat. furios.
Prodigus autem jure nostro is demum intelligitur, cui à magistratu
bonis interdictum est. l. 10. pr. l. pen. §. 1. ff. de curat. furios. & c. Nam
ipso jure nemo bonorum suorum administratione privatur. arg. §. 2.
Inst. quib. non est perm. fac. testam. Et his personis, puta mente cap-
tis, furiosis, prodigis invitis, vel verius ignorantibus curatores dan-
tur, quia velle nequeunt. l. 40. ff. de R. l. (g) videlicet surdis, mutis
& qui perpetuo morbo laborant, §. 4. l. b. t. qui tamen inviti cura-
torem recipere non coguntur, quemadmodum eleganter, Don. d.
lib. 3. c. 18. Clariss. & Excellent. Dn. D. Ungep. d. Ex. 4. q. 10. in Ajo.

IX.

Communia
~~tutorum~~ d. curat.
laborum.

Communia tutoribus & curatoribus sunt 1. Satis-
datio, de quâ suprâ th. 5. lit. D. 2. Excusatio. (a) Justæ
verò excusationis causæ sunt: numerus liberorum, (b)
administratio fisci, (c) legatio publica, (d) potestas,
(e) his cum pupillo de majore patrimonii parte, (f) ad-
versa valetudo, (i) literarum imperitia, (k) inimicitia,
(l) controversia status, (m) ætas ingravescens, (n) &
artium liberalium professio. (o)

(a) Quæ est justæ causæ allegatio, propter quam tutor vel cura-
tor tutelam vel curam sibi delatam deprecatur, Vult. ad pr. l. de Ex-
cus. tut. n. 4. Wes. w. ff. eod. n. 1. Et si enim nullus qualibet prærogati-
vâ fultus, à publicis muneribus, quibus, ut dictum, tutela & cura
accensenda venit, pr. l. b. t. immunis habetur, l. 19. & l. 28. C. de de-
curion. tamen cum lex non ignoret, graves admodum & molestas
esse tutelæ & curæ sollicitudines, iis maximè, qui alius etiam rebus in-
super onerati sunt; varias excusationes commenta est, quas tutor
vel curator datus readhuc integrâ, l. 2. C. si tutor vel curat. fals. alleg.
excus. apud competentem judicem vel apud acta proponere, & o-
nus tutelæ vel curæ deprecari possit. l. 13. §. 8. & 10. ff. de excusat.
(b) trium Romæ, in Italia quatuor, quinque; in Provinciis. pr. l. b. t. l.
R. C. qui num. lib. se excus. ita tamen ut tempore delatæ tutelæ sint su-
perstitæ

perfitites, l. 2. §. 4. & 8. ff. de excusat. l. 2. & 3. ff. de vacat. & excusat. mun. vel in bello, i. e. acie & conflictu perierint, d. pr. l. & l. 18. ff. d. r. de excusat. (c) §. 1. l. b. t. l. 41. ff. eod. l. 8. §. 7. de vacat. & excusat. quæ non tam ipsorum gratiâ qui administrant, quàm ne extenuentur facultates eorum, quæ fisco obligatæ sunt, introducta est. l. pen §. 10. de jure immunis. (d) Ea; non tantum à susceptâ tutela intermedii temporis quo quis Reip. causâ abest, vacationem præbet: §. 2. l. b. t. l. 10. §. 2. ff. eod. Sed & facit, ut ii qui qualitercumq; dati, necessitatis publicæ plebis Romanorum gratiâ absentes fuerint, intra annum post reversionem à novâ tutelâ vel curâ excusentur, d. §. 2. l. & d. l. 10. in pr. & §. 2. ff. b. t. l. 2. C. si tut. vel curat. Reip. caus. aber. (e) §. 3. l. b. t. l. 19. §. 1. ff. de tur. & curat. dar. l. 6. §. 16. ff. de excusat. Quæ tamen si temporalis sit, à tutela vel cura suscepta non excusat. d. §. 3. l. 17. §. 5. ff. eod. cum multa non suscepta deprecari liceat, quæ semel suscepta perfici debant, §. 11. Inst. mandar. & multa impediuntur in principio, quæ postea facta non tolluntur, l. 8. ff. de his qui sunt sui vel alieni. Si verò perpetua fuerit, etiam à suscepta tutela vacationem præstat, arg. l. 30. ff. de Excusat. (f) §. 4. l. b. t. l. 21. in pr. ff. & l. 16. C. eod. Hodie tamen tutor vel curator ob quamlibet litem, quam cum pupillo vel adulto habet, ipso jure tutelam suscipere prohibetur, ita ut excusatione amplius opus non sit. N. 72. c. r. 2. g. (g) §. 5. Inst. b. t. l. 15. §. 15. l. 31. ff. eod. l. 2. C. qui num. tut. Idq; introductum est ob favorem partim pupilli, ut ei tanto melius prospiciatur, partim etiam tutoris, ne is nimium oneretur, cum jam antea tot molestiis sit gravatus. Aliquando tamen una tantum tutela ad excusationem aliarum sufficit, si tam diffusa & negotiosa sit, ut pro pluribus cedat. Non enim numerus pupillorum, sed difficultas conficiendarum & reddendarum rationum consideranda est. d. l. 31. §. ff. b. t. (h) §. 6. Inst. b. t. l. 17. l. 40. §. 1. ff. eod. Idq; propterea, ne dum tutelæ vel curæ negotiis implicatur, sibi ac suis prospicere, & victum quærere non possit. Cum verò paupertatis definitio, & terminus certus dari non possit, non immeritò judicis arbitrio eam æstimandam relinquimus cum Tr. vol. 2. D. 9. th. 2. lit. E. (i) Non tamen quæcunq; , sed ea quæ impedimento est, quo minus quis rebus suis superesse possit, §. 7. Inst. b. t. l. 10. §. ult. ff. eod. puta si tutor post susceptam tutelam captus oculis fuerit, vel mente, vel linguâ, vel auribus aut in-

valetudine

valetudine perpetua. *d. l. 40. in pr. ff. b. t.* Nam ab initio, qui his morbis sunt affecti, tutores aut curatores planè dari non possunt: cum sit incivile eos, qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere noscuntur, & ab aliis reguntur, aliorum tutelam vel curam subire. §. 13. *in f. Inst. b. t.* (k) Nec itidem quævis, sed quæ administrationi imparem quem faciat: id quod annuunt verba, *d. §. b. n.* ibi: quamvis & imperiti &c. quibus per adversativam corrigitur & circumscribitur regula præcedens, ut conveniat cum, *l. 6. §. ult. ff. h. t.* (l) capitalis scilicet vel gravissima, *d. l. 6. §. 17. l. 3. §. ult. ff. de adm. legat.* Si reconciliatio non intervenit. §. 11. *Inst. h. t.* adeò ut nec tutelam odio & malevolentia testatoris delatam recipere quis cogi possit, §. 9. *Inst. h. t. d. l. 6. §. 17. ff. eod.* (m) §. 17. *Inst. d. l. 6. §. 18. ff. eod.* Nulla enim inimicitia pestilentior, nulla lismajor, vel periculosior esse potest, quàm quæ de statu movetur, *arg. l. 24. in pr. ff. de bon. libertor.* (n) Quæ major 70. annis à muneribus personalibus non verò patrimonialibus excusat. *l. un. C. qui erat. l. 3. ff. de jur. immunit. l. 2. in pr. ff. d. t. de excus. §. 13. Inst. eod.* (o) ut Grammaticæ, Rhetoricæ, Medicinæ; modò earum Professores intra numerum sint, actusq; ipso doceant, & quidem in patriâ suâ. §. 15. *Inst. h. t. d. l. 6. §. 7. & seqq. ff. eod.* vel aliàs valdè disciplinis sint instructi, *d. l. 6. §. 10.* aut Romæ profiteantur. *d. l. 6. §. 11. l. 9. ff. de vacat. & excus. mun.*

X.

de
Excusationib;
tutorum.

Licet autem tutor, qui plures habuerit excusationes, in quibusdam probandis succubuerit, aliis tamen uti intra tempora constituta non prohibetur. (a) Neq; tutores qualitercunq; dati, (b) statim ab ipsâ datione appellant, (c) sed intra tempus constitutum, (d) excusationis causas proponunt.

(a) §. 16. *Inst. h. t. l. 21. §. 1. ff. eod.* debent autem jam natæ esse, non nascituræ, *l. pen. in pr. ff. d. t. de excus.* (b) Sive à testatore, sive à Prætorè, *d. §. 16. Inst. l. 13. §. 3. ff. h. t.* Imò etiam legitimi. per textum *in l. 1. C. de legit. tut. l. 9. C. qui dare tut. vel curat. &c. N. 118. c. 5. Don. 3. comm. 9. & ibi Hillig. lit. X.* (c) Sed licitum est ipsis post constitutionem D. Marcetiam sine appellatione à tutelâ vel cura se excusare.

1802
excusare, l. 16. ff. h. t. cum necessitas appellandi, quæ olim ad munus
aliquid vel honorem vocatis, seq; excusare volentibus incumberebat.
l. 1. §. 2. ff. quand. appell. l. 1. in pr. ff. de vacat. & excus. mun. l. 7. l. 11. C. de
appellat. hodiè tutoribus curatoribusq; ex dicta Constit. D. Marci
sit remissa. l. 13. in pr. ibi necesse non habent. ff. de excus. l. 18. C. eod. Quod
si tamen statim à delatione tutelæ, non expectatâ rejectione causa-
rum excusationis appellare maluerint, concessum id ipsis adhuc est;
veruntamen non, ut olim coguntur. (d) Tempus excusationis hu-
jus proponendæ est spatium 50. dierum, propositæ verò perficien-
dæ 4. mensium, l. 13. §. 1. & 6. l. 38. ff. h. t.

XI.

Tertiò deniq; tutoribus & curatoribus communis
est suspecti actio, (a) quæ ex ipsa L. x. xi. Tab. descen-
dit, (b) & competit omnibus, (c) adversus omnes tuto-
res & curatores, (d) coram magistratu competente. (e)

de
actione q^a sur-
pulum tutelam.

(a) Cujus civiliter intentatæ effectus est, suspectum declarare
& ab administratione remove, l. 4. §. ult. & t. r. Inst. ff. & C. de sus-
pect. tut. l. 3. §. 2. ff. de admin. tut. criminaliter verò, arbitrariè puni-
re. §. 10. & seq. Inst. h. t. l. 1. §. ult. l. 2. l. 3. §. 15. ff. eod. Dicitur autem,
suspectus, qui non ex fide tutelam gerit. §. 5. Inst. h. t. l. 5. §. 5. ff. eod.
licet solvendo sit, d. §. 5. Inst. d. r. idonei namq; non tam patrimonio,
quàm fidei aestimantur. l. 112. in ff. de V. O. Suspectus autem remotus,
si quidem ob dolum, famosus est, si ob culpam latam velle non
æq; §. 6. Inst. h. t. l. f. C. eod. (b) pr. Inst. h. t. l. 1. §. 2. ff. eod. & quidem u-
tilissimè; cum melius sit jura minorum intacta servari, quàm post
vulneratam causam remedium quærere, l. f. C. in quibus caus. in in-
tegr. rest. ne consumptis & diminutis à tutore vel curatore bonis,
ferò cum Phrygibus Pergama castra doleant. arg. l. f. §. 5. vers. fili. a i-
tem famil. C. de bon. qua. liber. (c) Est enim hæc actio quasi publica,
ita ut quis accusare possit. §. 3. Inst. h. t. d. l. 1. §. 6. ff. eod. etiam ac-
traneus. l. 6. in ff. C. h. t. & foemina, sed illæ tantum, quæ pietate ac
necessitudine ductæ ad hoc procedunt, d. §. 3. Inst. & d. l. 1. §. 7. ff. eod.
Non tamen impuberes, licet puberes ex consilio necessitatorum cu-
ratores suos rectè suspectos arguant, §. 4. Inst. h. t. l. 7. in pr. ff. eod.

G

(d) Cui

(d) Cujuscunq; sint generis, §. 2. *Inst. h. t. d. l. 2. §. 5. ff. eod.* Quare et si legitimus sit tutor, accusari poterit, *d. §. 2. Inst. & d. l. 1. §. 5. ff. h. t.* Excepto patrono, qui licet ut suspectus removeri possit, tamen fama ejus ne periclitetur, causa remotionis decreto inferenda non est, *l. 4. §. 2. ff. h. t.* Sed optimum factum erit, patrono, qui à liberto ut suspectus postuletur, curatorem potius adjungi, quàm eundem cum notatà fide & exstimatione removeri. Quod etiam humaniùs esse dicit Jctus Modestini. in eo tutore, qui pupillo, vel necessitudinis vel affinitatis vinculo conjunctus est, observare. *l. 9. h. t. Clariss. & Excellentiss. Dn. D. Ungep. d. Exc. 4. qf. (e)* qualis Romæ erat Prætor, in provinciis Præsides, Proconsules eorumq; legati, *d. §. 1. Inst. h. t. & d. l. 1. §. 3. & 4. ff. eod. &* quidem citra specialem concessionem, vi ordinaria jurisdictionis: adeoq; etiam vi mandatæ jurisdictionis Legato competit. *l. pen. ff. de offic. ejus cui mandat. & c. d. l. 1. §. 4. ff. h. t. Dn. D. Ungep. d. Exc. 4. q. 16.*

XII.

Novissimè sciendum, suspectum tutorem etiam jam satisdederit, vel adhuc satisdare paratus sit, removendum esse: (a) nec solam tutoris paupertatem sinistram aliquam suspicionem generare. (b)

(a) *§. ult. l. h. t. l. 6. ff. eod.* Expedi enim potius pupillo rem suam salvam fore, quàm tabulas cautionis habere. *d. l. 5. ff. d. t.* quia satisdatio propositum tutoris malevolum non mutat, sed diutius grassandi in refamiliari facultatem præstat, *d. §. f. Inst. & l. 6. ff. h. t.*
 (b) *d. §. f. Inst. h. t.* In postulandò siquidem tutore vel curatore non vires patrimoniorum principaliter, sed an nihil segniter, nihil fraudulenter geratur, perpendi oportet, *l. 5. C. h. t.* Hinc suspectum tutorem dicimus eum, non cui res angusta domi est, sed qui tam perditis & afflictis est moribus, ut vexlex iis satis evidenter appareat, suspectum eum esse. *d. §. ult. Inst. l. 3. ff. hoc.* Imò plerumq; pauperior tantùm fide ac operâ suâ supplet, quantum ei per patrimonium deest, *arg. l. 21. §. 5. ff. de tutor. & curat. dat.* Nec enim, ut eleganter Maro.

— — Simiserum fortuna Sinonem
 Finxit, vanum etiam mendacemq; improba finges.


EL

863

Et multi reperiuntur boniviri, sed pauperes, ut est apud *Aristoph.*
in Pluto. Cujus rei causam inquirens, *Petronius Arbitrarius in Satyrice,*
Nescio, inquit, qui fiat, ut bonæ mentis soror sit paupertas. Quod
si tamen tutor tamenegenus sit, ut per id pupillorum substantia pe-
riclitetur, alius ei curator adiungendus est, ex *Consilio Imp. Gordiani*
in l. 6. vers. quod si nihil. C. h. r.

Et tantum de tutelæ & curæ materiâ hactenus disseruisse sufficiat.

DEO sit Laus & Gloria in omne ævum.



ADDITAMENTA.

I.

Venatio est regale studium, Principibusq; con-
veniens.

II.

An terræ motus mutationis Reip. & calamitatum
publicarum sint prænuntii? A.

III.

Num virgini sive matronæ suum pudorem telo
defendere & attentantem occidere liceat? A.

IV.

Num Gynæcocratia admittenda? N.


V.

An si parens filium jusserit, sibi lethalem ensem
porrigere, aut toxicum propinare, dicto audiens de-
beat esse filius? N.

C 2

Ad





Ad Præstantissimum & Doctissimum

DN. RESPONDENTEM, amicum meum
singularem.

Didum viros quod, nocte reconditum.,
Latebat occultè, experientiâ

Duce & magistrâ commoratur.,

Deniq; sub radiante dio.

Primæ Tui te, POPPO, chori decus

Parnasi, moti pietate eâ,

Cùm subderent curæ viri arte.,

Egregiâ, ipso & honore magni:

Viri, qui iisdem mœnibus est capax

Natalibus mecum, atq; puertiam.,

Sub rege eodem egit, meâq; est

Dimidium usq; animæ (ah!) remotum.:

Tutela quâ succederet orphano,

Non ponderabas; Judicium tuis

Annis ut auctum est cum petulcis.,

Tum vario didicisti ab usu.

Proinde Musis NORIADUM in sacro

Paras, Lyceo legitimam suis

Coloribus tutelam ad assem.,

Exprimere, ut præit IMPERATOR.

Tuere tutelam ingenio tuo,

Plenis honorum muneribusq; abhinc

Pollebis, æternando in ævum.,

Auspiciis, titulisq; nomen.,

Norimbergæ caneb.


L. M^g

M. ANDRAS LUDOVICUS

Scholæibid.Ægid. Concl.

F I N I S.





Altdorf, Diss., 1599-1633

ULB Halle

3


005 607 582




TA → OL

WMA







THESES JURIDICÆ
DE

VTELA ET
CVRA,

Quas
D. T. O. M. A.

PRÆSIDE
Clarissimo & Consultissimo VIRO

WILHELMO LUDWELL, U. J. D.
P. Fautore & Præceptore suo omniho-
noris & observantiæ cultu jugiter æviter-
nùm suspiciendo,

clutâ NORIBERGENSIVM UNIVER-
SITATE ALTDORPHINA,
Publicæ & placida disquisitioni

In Acroaterio majori

Committet & pro virili defendere conabitur,
IERONYMUS POPP SCHUIN-
FURTENSIS FRANCUS.

Ad diem Martij

A. R. S.

M. DC. XXII.

ALTDORPHI

Typis BALTHASARIS SCHERFFI,
Universitatis Typographi.

Costa 19. No 29.